
ARGVMENTVM

GORGIAE PLATONIS

AVCTORE TIEDEMANNNO.

Disputat cum Gorgia, Leontino fortasse, rhetore et Sophista celeberrimo, Polo rhetore itidem, alio tamen sine dubio a Polo Pythagoreo, et Callicle, de natura et vtilitate rhetoricae artis, Socrates; defensamque ab illis, omni conatu oppugnat, vt quae ad corrumpendos quidem deliniendosque verborum blandimentis homines valeat, veram tamen vtilitatem iis afferat nullam. Quod quo tueatur fortius, in philosophiam morum descendit, et quale sit, quod in omni vita sectari maxime oporteat homines, docet. Calicles, qui, vt ex ipso patet hoc dialogo, nuper rempublicam coeperat tractare, Socrati, ingentem eum fecisse iacturam, non audita egregia Gorgiae disputatione, narrat, eoque ipso cupiditatem Gorgiam audiendi accendit. Ad quem dum pergunt, Socrates Chaerephonti praecipit, amicum sibi esse Gorgiam narranti, vt, quisnam sit, ex eo quaerat; quo, vt viam
A sibi